10

DE

CHALCOGRAPHIAE INVENTIONE

POEMA ENCOMIASTICVM.

IOANNE ARNOLDO BERGELLANO

AVCTORE.

MOGVNTIAE AD *D. VICTOREM*

PRIMO EXCVSVM

A *FRANCISCO BEHEM*, ANNO MDXLI.



ERat mihi in animo, cum ſpem facerem, carmen hoc, quod *Ioannes Arnoldus Bergellanus* ſub medium fere ſaeculi XVI *in laudem artis chalcographices* ſcripſit, ac in publicum edidit, *Scriptoribus hiſtoriae Moguntinae inſeruientibus* inſertum iri, peculiari diſquiſitione *de utiliſſimae huius ac prope diuinae artis inuentione ac ortu* agere; uti quidem id ſatis indicaui lib. I *rerum Maguntiacarum* in adnotatione ad cap. XXXVI *Serarii* p. 113. Sedenim, cum publice haec inter innotuerit, celeberrimum uirum, & non uno ingenii monumento de re litteraria praeclare admodum meritum, *Ioannem Dauidem Koelerum*, Politices & Hiſtoriarum in inclita Altdorfina P. P. O. documenta quaedam antiquiſſima & primigenia Moguntia adeptum, propediem hac de re integro tractatu acturum*; rationibus probe conſideratis conſultius duxi, incepto abſtinere, quam exequi, quod mihi deliberatum erat, propoſitumque. I

* Vid. *Schelhornius* tomo IV *Amoenitatum litterariarum* obſeruatione II p. 301.

Prius tamen, quam ipſum hoc carmen dem, iuuabit, paucis huc, quae tum ad *Gutenbergii*, tum *Fauſtii* uitam, tum *artis* huius *inuentionem* ipſam, aliquo modo facere uidentur, inferre. Quod quin bona uiri doctiſſimi, mihique a pluribus iam annis amiciſſimi, pace faciam, nullus dubito. II

Illorum autem primum eſt, quod *Gutenbergius* ultimis uitae annis inter aulicos *Adolfi II* Archiepiſcopi Moguntini egerit, ac anno MCCCCLXVIII circa feſtam *D. Matthiae* Apoſtoli memoriam non amplius fuerit in uiuis. III

Illud

Illud manifestum faciunt *Adolfi* hac de re litterae, quae sic se habent:

ADOLF ---- *bekennen* ----- *das vvir haben angesehen annemige vnd vvillige dienst, die vns vnd vnserm Stifft vnser lieber getruvver* IOHAN GVDENBERG *getan hait* ------ *Darumbe vnd von besundern gnaden vvir ine zu vnserem dhiener vnd hoffgesindt vffgenommen vnd entphahen* ---- *Wir sollen vnd vvollen ime auch solichen dienst, dvvile er lebet, nit vffsagen, vnd vff dass er solichs dienstes deste bas genesen moge, so vvollen vvir ime alle iar vnd eyns iglichen iars, vvan vvir vnsern gemeinen hoffgesind kleyden vverden, zu iglichen zyten, "glich vnsern Edelen, kleyden, vnd vnser hoff kleydung geben laissen, vnd alle iare eins iglichen iars zvvenzigk malter korns vnd zvvey fuder vvins, zu gebrauchung sines huss, doch, das er die nit verkeuffe, oder verschengke, fry ane ungelt, nydderlage vnd vveggelt in vnser Statt Menze ingehen laissen, ine auch, dvvile er lebt, vnd vnser dhiener sin vnd bliben vvurdet, vvachens, vollge* ---- *dienst, schatzung, vnd anderer in gnaden erlaissen. Vnd hat vns daruber der egen,* IOHAN GVDENBERG *in truvven gelobt* ------ Eltvil *am Dornstag* Sant Antonien *tag 1465.*

Hoc produnt litterae *Cunradi Homery*, Iurium Doctoris, quae in haec extant uerba:

Ich Conrad Homery, *Doctor, bekenne mit diesem brief, so als der Hochvvurdige Furst, myn gnediger lieber Her, Her* ADOLFF *Erzbischoff zu Menze, mir etliche formen, buchstaben, instrument, gezuge, vnd anders zu dem truckvverck gehorende, das* Iohann Gudenberg *nach sinem tode gelaisen hat, vnd myn gevvest ist, vnd noch ist, gnediglich folgen laissen hat; das ich dargegen synen Gnaden zu eren vnd zu gefallen mich verpflichtiget han, vnd verpflichtigen mit diesem brieff, also, vver es, das ich soliche formen vnd gezuge zu trucken gebruchen vverde, nu oder hernach, das ich das thun vvill vnd sall bynnen der Statt Menze, vnd nyrgent andersvvoe: desglichen, ob ich sie verkeuffen, vnd myr eyn burger davor so viel geben vvolte, als eyn fremder, so vvill vnd sall ich das dem ingesessenen burger zu Menz vor allen fremden gonnen vnd folgen laissen. Vnd han des alles zu vrkunde myn Secret zu ende dieser schrifft getruckt, der geben ist des iars, als man schrieyb nach der geburt Christi vnsers Hern MCCCC vnd LXVIII iar, vff Frytag nach* Sant Mathys *tag.*

De cetero,

De cetero, *Gutenbergium* patria Moguntinum fuisse, familia nobilium, qui *Gensfleisch* de *Sorgenloch* dicebantur, ortum, atque adeo *Ioannem Gutenberg* & *Ioannem Gensfleisch* unum esse, eundemque, non est, quod moneam, cum id genuinis e documentis uel maxime iam ostenderit laudatus *Schelhornius* l. d. adnotatione lit. *a*) signata, p. 304.

Alterum est, quod *Ioannes Fauſt*, siue, ut tum scribi solebat, *Fust*, iisdem temporibus decessisse uideatur: quandoquidem libri, qui anno MCCCCLXVIII & sequentibus prodiere, solo *Schaefferi* nomine notati sunt*; non, ut antea, istius & huius simul**. IV

* Non alienum, ut reor, fecero, si id uno alteroue ostendam exemplo. Sic autem legere est in calce *Institutionum* ibidem anno MCCCCLXVIII impressarum: *Presens* Institutionum *preclarum opus alma in urbe Moguntina inclite nacionis germanice. quam Dei clementia tam alti ingenii lumine. donoque gratuito. ceteris terrarum nacionibus preferre. illustrareque dignatus* * *est. non atramento communi. non plumali canna. neque erea. sed artificiosa quadam adinuencione imprimendi seu characterizandi sic effigiatum. & ad eusebiam Dei. industrie consummatum. per* Petrum Schoyffer *de* Gernsheym. *anno dominice incarnacionis. milesimo CCCC. LXVIII. uicesima quarta die mensis Maii.* Et in calce opusculorum *Sophronii*, *Eusebii*, & *Hieronymi* an. MCCCCLXX ibidem editorum: *Est autem presens opus arte impressoria feliciter consummatum per* Petrum Schoiffer *de* Gernsheym, *in ciuitate nobili Maguntina*, *cuius nobilitati uir reuerendus* Ieronimus *scribens ad* Agerunciam *de* monogamia, *testimonium perhibet sempiternum eiusdem in ecclesia pro fide catholica sanguine proprio laureatus.*

* l. dignata

Huic laudatori reddit Maguntia uicem,
Tot sua scripta parans usibus ecclesie.

Anno Domini MCCCCLXX, *die septima mensis Septembris*, *que fuit uigilia natiuitatis Marie. Da gloriam Deo.* Tum uero, in calce *Decreti*, quod uulgo *Gratiani* appellatione uenit, anno MCCCCLXXII ibidem excusi: *Anno incarnacionis dominice MCCCCLXXII*, *Idibus Augustiis*, *sanctissimo in Christo Patre ac Domino*, *Domino* Sixto *Papa quarto*, *Pontifice maximo*, *illustrissimo nobilissime domus Austrie* Friderico *Romanorum Rege glorioſissimo*, *rerum Dominis*, *nobili nec non generoso* Adolpho *de* Nassau, *Archiepiscopatum gerente Maguntinensem*, *in nobili urbe Moguntia*, *que nostros apud maiores* aurea *dicta*, *quam diuina etiam clementia dono gratuito pre ceteris terrarum nationibus arte impressoria dignata est illustrare*, *hoc presens* Gratiani Decretum *suis rubricis non atramentali penna*, *cannaue*, *sed arte quadam ingeniosa imprimendi*, *cunctipotente adspirante Deo*, Petrus Schoiffer *de* Gernsheym *suis consignando scutis feliciter consummauit.*

** Vti uidere est in *Guilielmi Durandi* Rationali an. MDLIX ibidem euulgato: *Presens rationalis diuinorum codex officiorum uenustate capitalium decoratus*, *rubricationibusque distinctus. artificiosa adinuentione imprimendi ac caracterizandi: absque calami exaratione sic effigiatus. Et ad eusebiam Dei industrie est consummatus. Per* Iohannem Fust *ciuem Maguntinum*, *&* Petrum Gernsheym, *Clericum diocesis*

eiusdem. Anno Domini milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo nono. Sexto die Octobris. Et in codice ſacro ibidem an. MCCCCLXII in lucem edito: *Preſens hoc opus finitum & completum, & ad euſebiam Dei induſtrie in ciuitate Maguntinenſi per* Iohannem Fuſt *ciuem &* Petrum Schoiffher *de* Gernsheym *Clericum dioceſis eiusdem eſt conſummatum. Anno incarnacionis dominice M.CCCC.LXII. in uigilia aſſumptionis glorioſe uirginis Marie.*

Ceterum eſt, qui coniecit, uix eſſe dubium, quin *Fauſtus* anno MCCCCLXXIII naturae conceſſerit, cum in *Necrologio* FFr. Ordinis *D. Dominici*, conuentus Moguntini a. d. *Valentini* martyris honori ſacrum, legantur ſequentia: *Anniuerſarium* Iohannis Fuſt *&* Margaretae *uxoris, & ſuorum; pro quo Conuentus recepit Epiſtolare* Ieronimi *&* Clementinas *a Venerabili* Petro Gernsheim, *impreſſore, ſuo genero, anno MCCCCLXXIII.* Vtrum bene, nec ne, non adeo difficulter colligi poteſt.

v *Tertium* eſt, quod prima artis huius inuentio in ueteri quodam *familiae Fauſtianae* hac de re manu ſcripto non *Gutenbergio*, ſed *Fauſto* & *Schaeffero* adſcribatur. Sic enim in diſſertatione ſolemni, quam anno MDCCXI Gieſſae Haſſorum quinque Philoſophiae Candidati, praeſide *Immanuele Webero*, ICto clariſſimo, examini ſubiecere, n. V § XII p. 14 & ſeq. *Ioannes Theophilus Hagenbruch; Artis typographicae inuentorem alii perhibent* Iohannem Fauſtium, *Moguntinum; alii* Petrum Schöfferum, *Gernsheimenſem; alii denique* Iohannem Guttenbergium, *itidem Moguntinum. Res breuiter ex uero ita ſe habet.* Iohannes Fauſtius *anno MCCCCXL Moguntiae libellum* ABCdarium *primo, & deinde* Donatum, *ut uocant, impreſſit, & quidem litteras initio in integris columnis ligneis efformauit, ſicque impreſſit: poſt uero ſeorſum ſingulas ex ligno ad impreſſionis uſum confecit. Id quum admodum laborioſum & incommodum cerneret famulus eius, homo ingenioſus,* Petrus Schöfferus, *inuenit modum formandarum litterarum ex fuſili metallo, quales hodie habemus*: er hat die art erfunden, vvie die buchſtaben in pontzen zu ſchneiden und nachzugieſſen. *Hi duo itaque iunctis operis ſucceſſiue artem nouiter inuentam magis magisque excoluerunt. Adſcitus quoque fuit tandem in ſocietatem* Iohannes Guttenbergius, Fauſti *uicinus: ſed poſt lites inter eos exortas* Guttenbergius (*quem* Matthaeus Palmerius, *Piſanus, in* continuatione chronici Euſebiani, zum Iungen *& Equitem Moguntinenſem uocat*) *Argentinam conceſſit, & artem typographicam ibidem exercuit. Deſumta haec ſunt ex* Relatione *ipſius* Iohannis Fauſtii, *fide digniſſima, ab eius poſteris, qui Francofurti diu floruerunt, diligenter aſſeruata, cuius copiam uidere licuit apud Conſultiſſimum Dominum Praeſidem.*

Sedenim,

Sedenim, cum nullum mihi dubium sit, hoc omne, pro singulari sua eruditione, iudiciique acrimonia curate expensurum, ac sub examen reuocaturum doctissimum *Koelerum*, sine longiori ambage ad carmen hoc ipsum nunc progrediar.

Est id *Ioannis Arnoldi Bergellani*; qui Moguntiae illud scripsit, ac anno MDXLI publicae luci ibidem commisit. Quis autem ille domo fuerit; unde gentium uenerit Moguntiam; quamdiu in uiuis egerit, ac id genus alia, iuxta cum ignarissimis me nescire, lubens fateor. VI

Si coniecturae locus, putarim, a patria se *Bergellanum* scripsisse, quum nomine gentilitio uocaretur *Arnoldus*.

Quod Moguntiae (quam *infelici auspicio* se adiisse, dicit) aliquandiu egerit; ceterum uero ad uictus subsidia sibi paranda in officinis typographicis, nescio Chalcographicaene arti, an corrigendis operarum mendis (quippe obscurius paullo loquitur) operam, curamque impenderit, ipse nobis prodit. *Illud* quidem in *Dedicatoria* huius poematis ab initio: *hoc* uero v. 165 carminis ipsius ac seqq.

Correctoris illum obiisse partes uult *Mallinkrot* dissertatione *de ortu & progressu artis typographicae* cap. XV p. 96, *Tenzelius* infra ad locum modo citatum, *Zeltnerus* lib. *de claris Correctoribus* p. 79.

Exscripsit autem illud typis *Francisci Behem*, apud *D. Victoris* extra moenia Moguntina aedem; quam typographeo ab inuento artis Chalcographices initio ad annum usque MDLII (quo Collegialis illa ab *Alberto* Brandenburgico, una cum domiciliis circumiacentibus, iniecto igne penitus deuastata est) instructam fuisse, obseruaui in *chronico* illius sectione I § XLIV p. 611. VII

Quamuis autem longe infra *Gresemundi* sit elegantiam, lectu tamen dignum esse, immo habere quaedam, quae alibi non ita facile inueneris, nemo forte diffitebitur. *Egregium* certe iam olim uocauit *Walchius* in *Decade fabularum* p. 182; *Groschuffius* in praefatione *ad librorum rariorum Collectionem* p. 30, *non inuenustum*; Cl. *Tenzelius* uero multo quaesiuit studio; fassus, ex omnibus, qui de re typographica scripsere, neminem sibi occurrisse, qui enarratius, maiorique ueritatis studio de ea egerit, quam *Arnoldum* nostrum*. VIII

* In libello uernacula scripto, *von Erfindung der löblichen Buchdrucker-Kunst*, p. 50 & seq.

Quo factum, ut *Antonius Verdier* id anno MDLXXXV, quamuis fide non optima (ut infra uidere est) Supplementis *Bibliothecae Gesnerianae* subiunxerit: Cla- IX

rissimus uero Vir, *Wilhelmus Ernestus Tenzelius* anno MDCCIV, secundum primam editionem recusum, partem *Bibliothecae suae curiosae** facere haud dubitarit.

* Tomo quidem I, sigillatim uero *repositorii I loculamento X* p. 986 — 1002.

x Quam praeter editionem (exteris tamen parum cognitam) cum uix haberi possit, atque adeo, ut *Zeltnerus* l. d. non male scribit, *rarissimum* sit, illud *Scriptoribus ad rerum Moguntinarum notitiam facientibus* inserendum duxi.

Secutus autem sum editionem istam *Tenzelianam*, *Verderiana* quippe potiorem; hoc tamen obseruato discrimine, modoque, I) ut adnotatiunculas auctoris *Arnoldi* litteris Italicis; *Tenzelii* uero antiquis, ut uocantur, exscribi curarem. II) ut lectiones, quae operarum negligentia euidenter prorsus deprauatae erant, correxerim; eas uero, quae dubiae mihi uibebantur, in margine adiecta, quae uerior mihi uisa, notarim.



REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO
ALBERTO,
CARDINALI, ARCHIEPISCOPO MOGVNTINO cet.
MARCHIONI BRANDENBVRGENSI,

IOANNES ARNOLDVS BERGELLANVS
S. D.

CVm superiori anno, PRINCEPS CLARISSIME, *nonnullas ad Rheni littora positas ciuitates negotii cuiusdam gratia adirem, diuerti (licet infelici auspicio) & ad tuae ditionis Moguntiam: quae ut pluribus Germaniae ciuitatibus antiquitate longe praefertur, ita quoque augustissimis ueterum heroum monumentis, reliquiisque sese oculis meis multis modis suspiciendam offerebat: ut ea praetermittam, quae publice priuatimque cum sacris tum profanis negotiis magna illic laude geruntur. Inter cetera uero admiranda rerum monumenta (quorum non parua copia erat) incidi in* IOANNIS TRITHEMII *proximi saeculi historicos libros, in quibus elogium quoddam* de Chalcographia, *eiusque inuentione deprehendi, qui Moguntinae urbis incolae eque-*

ſtris dignitatis, uirtutisque nobiliſſimo, IOANNI GVTENBERGO, primo auctori, eiusque coadiutoribus, IOANNI FAVSTO, PETROque SCHAEFFERO, huius admirabilis artificii, certis formulis libros excudendi, acceptam refert. Id quod & a nonnullis Moguntiae ciuibus mihi poſtea in familiari colloquio, cum ea de re mentio inter alia incideret, certo certius relatum eſt. Accedit & hoc, quod & hodie uetuſtiſſima quaedam, in eum uſum ab autoribus comparata, quae uidi, inſtrumenta ibidem extant. Qua equidem arte totus hic orbis nihil nobilius unquam uel uidit, uel produxit: cui quoque & aurum & argentum, gemmaeque, & quaecunque apud mortales in magno pretio ſunt, merito cedunt. Hanc ſingulari quadam beneuolentia (ut auguror) DEVS Opt. Max. Germanis largitus eſt. Quae ſi priſcis temporibus extitiſſet, dii boni, quem nunc theſaurum, quas clariſſimorum autorum bibliothecas, in manibus haberemus, qui proh dolor! ob iniquae ſortis iniuriam, e conſpectu noſtro ſublati ſunt. Quos apud Iudaeos Eſdras *Scriba, apud Graecos* Piſiſtratus *tyrannus, apud Romanos uero* M. Varro, Pollio*que, nec non praeterea multi Reges, proceresque diuerſarum gentium, inſtructis magnificentiſſimis bibliothecis, multo labore, ingentique ſumtu, tanquam in locuplete penu, pro uiribus ab interitu uindicare conati ſunt. Proinde committere non potui (rumpantur ut ilia Momis) quin artem illam diuinam, adeoque nunquam ſatis laudatam, encomio quodam, alternis numeris compoſito, utcunque illuſtrarem.*

Quicquid autem id opellae eſt, PRINCEPS ILLVSTRISSIME, *hoc tuae Celſitudinis patrocinio, quaſi Palladis aegidi, tuendum dedico, & quod fauſtum felixque ſit, apophoreti xeniique loco, transmitto; uel eam maxime ob cauſſam, quod in ea ciuitate ſummam imperii tenes, intra cuius parietes pars ea nata eſt. Munus quidem paruum, quod offertur, res uero maxima eſt, & perpetua memoria digniſſima, quae repraeſentatur. Precor itaque, quo tua manſuetudo hos meos conatus aequi bonique conſulat. Vale. Moguntiae ad* D. Victorem *MDXLI.*

ENCO-

ENCOMION
CHALCOGRAPHIAE.

INclita laudantur saecli monumenta prioris,
Artifici quae sunt elaborata manu.
Haec, quia fixa manent operosae pondere molis,
Et sumptus Croesi uix grauis arca feret.
Illa sed excoluit mira labor improbus arte,
Liuidus & rabido carpere dente timet.
Sic sua Pyramidum iactat miracula Memphis,
Sic Ephesus Triuiae Daedala fana canit.
Aeratis Babylon muris sic alta superbit,
Regia Mausoli sic quoque busta micant.
Non referam simulacra Iouis, Rhodiumque colossum,
Non, quod mortales deliciasque uocant,
Non hortos, thermas, non Caesaris amphitheatrum,
Sed cedat, magno quicquid in orbe nitet.
Artis namque nouae natum est opus, arte magistra:
Id quod diuini numinis instar erit:
Conflatis docuit libros quae cudere signis,
Et preli dociles exprimit apte* typos.

(a) Hic, ubi postremo descendit gurgite Moenus,
Excipit & socias littore Rhenus aquas.
(b) Hanc peperit captis antiqua Moguntia muris,
Horrida dum tristis fata canebat auis.
Et lupus infrendens hostili percitus ira,
Innocuas septis dilacerabat oues.
Viperaque ut prodit, corroso uentre parentis,
Fractis sic portis ars patefacta fuit.
Saecula bis septem numerabant ordine fati
Christigenae, hinc illis lustra decemque dabant,
(c) *Tertius* ac orbis *FRIDERICVS* frena regebat,
Candida qui placidae nomina pacis habet.

* f. arte

(d) Littera

(d) Littera de rigido quia nunc deducitur aere,
Chalco illam *graphiam* Graecia gnara uocat.
Teutonicae gentis decus, immensusque thesaurus,
Tempore qui prisco nullius usus erat.
Quem non damnoso tineae corrumpere dente,
Neque situs turpi perdere labe, ualent.

(a) *Chalcographia primum Moguntiae prodiit.*
(b) *Hic tangitur historia de capta Moguntia.*
(c) *Tempore* Friderici III *typographia est inuenta.*
(d) *Vnde Chalcographia nomen est sortita.*

Autorem quaerunt, primos qui repperit huius
Archetypos artis, primaque puncta tulit.
Decertantque duae non parui nominis urbes,
Quaelibet artificem uendicat usque sibi.
Annalesque tuos quidam, Germania, torquent,
Bullatas nugas hac quoque parte uomunt.
Sed te ne fallat mendacis opinio uulgi,
Illius referam quae sit origo rei.
(e) Clarus IOANNES en GVTENBERGIVS hic est,
A quo, ceu uiuo flumine, manat opus.
Hic est Aonidum custos fidissimus, hic est,
Qui referat latices, quos pede fodit equus.
(f) Quam ueteres nobis argenti uoce notarunt,
A puero fertur sustinuisse uirum.
Illa sed huic ciui largita est munera grata,
Cui clarum nomen Mogus habere dedit.
Primitias illic coepit formare laboris,
Ast hic maturum protulit artis opus.
Stemmate praestabat; uicit uirtute sed illud;
Dicitur hinc uerae nobilitatis Eques.
(g) Annulus in digitis erat illi occasio prima,
Palladium ut caelo sollicitaret opus.
Illum tentabat molli committere cerae,
Redderet ut nomen littera sculpta suum.
Respicit archetypos, auri uestigia lustrans,
Et secum tacitus talia uerba refert:
Quam belle pandit certas haec orbita uoces,
Monstrat & exactis apta reperta libris.
Quid, si nunc iustos, aeris ratione reducta,
Tentarem libros cudere mille modis?
(h) Robora prospexit dehinc torcularia Bacchi,
Et dixit, preli forma sit ista noui.

(e) Ioannes Gutenbergus *primus typographiae inuentor.*
(f) *Chalcographia Argentinae primum attentata & incepta, sed Moguntiae colophonem accepit.*
(g) *Insignia aurei annuli prima occasio chalcographiae inueniendae fuere.*
(h) *Preli typographici forma, & unde occasio sumpta.*

Ac postquam nunc hac, illa nunc parte moratur,
Supplicibus uotis sidera celsa petit:
Magne pater superum, uerbo qui cuncta gubernas,
Elice, sunt animo quae meditata meo:
Namque potes, nec erit, quod nunc tua dextera possit,
Arguit hoc ingens mundus, inane chaos.
Et liceat plenis pelagus transcurrere uelis,
Littus ad optatum, quo rate tutus ero.
Te duce Pieridum conabor scandere rupes,
Tu modo luctanti porrige saepe manum.
Te sine mens nil nostra potis conarier unquam,

Flamine

Flamine ni praeſens pectora caeca regas.
Sit fas, aeratos calamos uulgare per orbem,
Atque nouas edant prela futura notas.
Dixit; & a laeua tonitru reſonabat olympus,
Iuppiter & uoluit pondus habere preces.
Comprobat hoc Phoebus cithara, celebrisque Minerua
Annuit, & dulci turba nouena chely.
Talibus auſpiciis diuinos concipit ignes,
Ac iterum manibus ſedulus urget opus.
Et nunc ſollicitum curuo caput ungue retractat,
Nunc uarias graphio luſtrat ubique uias.
Qualiter & negligit crudos ſine imagine natos
Vrſa, Calidonio * monte relicta patens.
Quos tandem repetit, lambendo effingit, alitque,
Et fouet in tepido pignora blanda ſinu.
Sic autor loca ſola petit, tacitosque receſſus,
Ac faſtiditum ſaepe relinquit opus.
Poenitet & facti, retro ueſtigia flectit,
Adque rudes foetus fertque refertque pedem.
Hos colit, hos format, hos digerit ordine certo,
Ardet & inceptae perficere artis opus.
Necque erat ulla dies Eoas uecta ſub auras,
Qua non ſit uigili littera ſculpta manu.
Atque notas uocum finxit de duro orichalco,
Nobile Phoenicium quas dedit ingenium.
(i) Altera ſed rebus ſuccreſcit cura renatis,
Inuentis uti mens generoſa nequit.
Implorat placidos zephyros, & carbaſa pandit,
Haeret & in ſcopulis neſcius auxilii.
Cumque illi ſtarent caelata toreumata magno,
Et labor anguſtas attenuabat opes;
Artis nec poterat certos extundere * fines,
Inceptum ſtatuit iamque relinquere opus.
(k) Conſiliis tandem FAVSTI perſuaſus amicis,
Viribus exhauſtis qui tulit auxilium,
Addidit ac operi lucem, ſumtumque laboris,
FAVSTVS, Germanis munera fauſta ferens.
(l) Et * leui ligno ſculpunt hi grammata prima,
Quae poterat uariis quisque referre modis.
Materiam bibulae ſupponunt inde papyri,
Aptam quam libris littore Nilus alit.
Inſuper aptabant mittit quas ſepia guttas,
Reddebat preſſas ſculpta tabella notas.
Sed quia non poterat propria de claſſe character
Tolli, nec uariis uſibus aptus erat,
Illis ſuccurrit (m) PETRVS cognomine SCHAEFER,
Quo uix caelando promptior alter erat.
(n) Ille ſagax animi praeclara toreumata finxit;
Quae ſanxit *matris* nomine poſteritas.
Et primus uocum fundebat in aere figuras,
Innumeris cogi quae potuere modis.

l. Caledonio

l. extendere

f. Ex

(i) *Magna typographiae inueniendae difficultas.*
(k) *IOANNES FAVSTVS primi inuentoris coadiutor.*
(l) *Experientia artis iam inceptae circa tabulas ligneas, litteris per ordinem insculptis.*
(m) *PETRVS SCHAEFER, alter* Gutenbergi *adiutor.*
(n) *Vulgo* matrices *nominantur.*

Hic noua ſpes oritur, redit in praecordia ſanguis,
Exultant animo, pectoris imque ſinu.
Abdita tecta petunt, agitur res teſtibus absque,
Ne fieret populo ſordida praeda leui.
Nata rudi primum res eſt tentata labore,
Mox uicit latebras aerea uena ſuas.
Ac horum poſtquam mordax eſt addita lima,
Omnibus haec numeris reddidit illud opus.
Fontibus e paruis creuerunt flumina magna,
Quae nunc uix ſitiens Tibridis ora capit.
Atque rigant ſacro Germanos gurgite campos,
* l. *exuſſit* Sirius excuſſit* quos face ſaepe graui.
Imparibus numeris caeleſtia numina gaudent,
Hoc opus exegit ſic quoque ſancta (*o*) Trias.
Illo primus erat tunc GVTENBERGVS in albo,
Alter erat FAVSTVS, tertius OPILIO.
Hic quoque tres aderant Charites, Iouis inclita proles,
Laude celebrantes mentis & artis opus.
Hinc inter ſeſe magnis hi uiribus inſtant,
Atque opus exercent nocte dieque nouum.
Componunt certo certas pars ordine uoces,
Pars forti torquent prela ſonora manu.
Emittunt uarios, cudunt quos aere, libellos,
Queis nihil in uaſto gratius orbe fuit.
(*p*) Hos ſtupet Eous, miratur & Heſperus illos;
Gratantum plauſus ſidera celſa petit.
Antea nec tales uidit binominis Iſter
Merces, nec Rhenus cornibus ipſe tulit.
Has quoque doctrinae ſuſpexit Achaia mater,
Praetulit ac illas Attalicis opibus.

(*o*) In *editione Verderiana* ita legitur; ſed in prima Moguntina eſt, *Diyas*: ſenſu diuerſiſſimo.

(*p*) *Magna artificii huius admiratio.*

Nunc agiles manibus digitos libratius arctet,
Detque locum argutis uilis arundo typis.
Prelo nam plures deſcribunt unus & alter
Chartas, quam calamis officioſa cohors.
Res operoſa quidem, blandis ſed grata Camoenis,
(*q*) Et nobis uictum per tria luſtra dedit.
Vtque molae Plautus, lympharum ut ſaepe Cleanthes,
Illius *Arnoldus* ſic tulit aeris onus.
Quid non paupertas & rerum triſtis egeſtas
Imperat? innocuos impietate premit.

(*q*) Hinc diſcimus, *Arnoldum* ipſum per quindecim annos Correctoris in typographia onus ſuſtinuiſſe; quod *Mallinkrot* aliique de eo annotarunt. (*Tenzel.*)

(*r*) *Laus Chalcographiae.*

(*r*) Haec ars e tenebris Muſas, uatesque reducit,
Certaque transacti temporis acta refert.
Senſibus haec aperit caecis oracla ſophorum,
Explicat & ſummi iuſſa ſacrata Dei.
Detegit haec artes, ac horrida fulmina mundi;
Depingit bullas illius atque leues.
Et tibi reſtituit tandem Germania lumen,
Argo centoculo ut cautior eſſe queas.
Purus & ut Phoebus tranſcendens climata mundi,
Illuſtrat radiis pectora quaeque ſuis.
Pontigenam Cous tabula depinxit Apelles,
Et tulit hinc ſummum perpetuumque decus:

Multorum

Multorum haec oculos in se conuertit & ora,
Tam fuerat docta linea ducta manu.
Conspicuis signis Lysippo gloria parta est;
His quoque pascebat lumina uulgus iners.
Praxiteles Pario uincebat marmore plures,
Et multos alios uindicat artis honos.
Haec monumenta licet solertia finxit ad unguem,
At nomen restat praeter inane nihil.
Quid, nisi sunt multis operata toreumata signis,
Et cinis & rapidis attenuata notis?
Respice praeterea naturae ditia dona,
Et rerum uarias rite uidebis opes,
Frugifero tellus cornu quas parturit alma,
Inque sinu fida sedulitate fouet.
Sunt, quas extollit medica Podalyrius arte,
Haec Regum mensis digna sed illa Deum.
Commendat nobis nonnullas rarior usus;
Nonnullae uaria conditione iuuant.
Dotibus innumeris siluae, campique redundant;
Eminet & multa nobilitate mare.
Vtilis usus adest plantis, & gratia gemmis,
Munus Erythraei littoris eximium.
Quem non sollicitant Pactoli littora rubri,
Stulti quae referunt impia uota Midae?
At nemo causas rerum, & cum foenore merces
Naturae cunctas enumerare potest.
Scilicet est natis non parua potentia rebus,
Maxima sed prelis, ingeniique bonis.
Namque animo praebent uires, & pectora formant;
Vsus at illarum corporis esse solet.
Astraeaeque uias possunt ostendere certas,
Itur queis rutili lucida ad astra poli.
Spiritus ut corpus longo discrimine uincit,
Haec bona sic superant quicquid in orbe uiret.
Haec quia perpetuo florent monumenta uigore,
Solaque Phoenicis saecula longa uident.
Illos extirpat morsu curiosa uetustas,
Horridus ac illis auster & aura nocent.
Quae tellus gignit, fortunae iniuria tollit;
Ast horum poterit iuris habere nihil.
Fertur & alma parens caput erexisse grauatum,
Atque hos insolita uoce dedisse sonos:
Quis Deus astrorum dedit haec miracula mundo?
Non mea sunt, sed sunt munera rara Deum.
Vix ea finierat, sequitur resonabilis Echo,
Respondens matri; munera rara Deum.
Sed quae lingua potest iusta haec extollere laude,
Queis nihil utilius maximus orbis habet?
(s) Aeternas igitur grates tibi, GVTENBERGE,
Olim persoluet uiuida posteritas.
Auricomum ut solem semper splendere uidemus,
Sic tuus aeterna laude nitebit honos.
Ibis ad Elysios ornatus tempora campos,
Et tua nobiscum fama perennis erit.
Atque omnis cantabit Io tibi turba sororum,
Ardua Pierii quae iuga montis amant.
Prima quidem laus est, niueo quoque digna lapillo,
Tradere si primus, quae latuere, potes.

Eſtque minor uirtus, inuentis addere lucem,
Eruere ac fontes, hoc opus artis erit.
Non tamen eſt FAVSTI ſtudium, PETRIque, tacendum,
Sed dignus grata eſt poſteritate labor.

(s) *Laus* Ioannis Gutenbergi, *primi inuentoris.*

Hic dum cernebant raras procedere merces,
Sanxerunt dextris foedera pacta ſuis:
Quae Deus, aut fortuna dabit, communia ſunto;
Aequalis noſtrum ſitque laboris onus.
Foedera ſed lucri raro concordia nutrit,
Indiga ſunt pacis, diſſidioque patent.
Sic poſtquam autores quaeſtus ſpes cepit habendi,
Ad lites uertunt pectora capta leues.
In partes abeunt, ſinceraque pacta reſoluunt,
Et promiſſa cadunt, irrita ſitque fides.
Cuilibet ut propriis ſeruiret pergula prelis,
Et ſibi multiiugas quisque pararet opes.
Non tulit iniuſtas mens GVTENBERGICA rixas,
Teſtatur Superos foedera rupta Deos.
Cauſſa tori tandem pauidi defertur ad ora.
Scribitur ac illis dica nefanda fori.
Tempore ſed longo res eſt tractata dicaci
Lite, hodie pendet iudicis inque ſinu.
Quae Deus in largos mittit mortalibus uſus,
Ad damnum uertit ſortis iniqua parens:
Vtilitate ſcatent calidiſſima dona Promethi,
Haec ſi quis licita commoditate fouet:
Attamen egregias urbes haec perdere cernis,
Longo quas ſtruxit tempore laſſa manus.
Quem latuit, rigidum praebet quae commoda ferrum?
Sed pereunt illo millia multa uirûm.
(t) Sic quaeſtus ſtudio nunc quisque typographus atque
Bibliopola libros uendit, emitque nouos.
Nec curae eſt ulli, qua ſit liber arte politus;
Foenoris ad fructus ſpectat auara cohors.
Sunt, quibus ingenii dotes natura negauit,
Et ſteriles merces iunxit Apollo quibus,
Hi negligunt ſancti quicquid ueneranda uetuſtas
Prodidit, effingit normam ea turba nouam:
Quidquid & his offert furor, atque licentia paſſim,
Exponunt populo ſaepe legenda rudi.
Fabricat hic nugas, hic rixas ſeminat atras,
Spargit & in uulgus, quam uomit ipſe, luem.
Barbariemque rudem maior pars ructat in auras,
Commiſcent rebus ſicque profana ſacris.
Hos non dexteritas, nummi ſed cura doloſi
Allicit, ut tractent munera Pieridum.
Inſignes titulos alius praefigere gaudet,
Atque tibi imponit nomine ſaepe nouo.
Neſcio quos auri montes promittere geſtit,
Mentem ſed fallunt aurea dicta tuam.
Pluraque nonnunquam promittit fronte libelli,
Quam quae uix ingens bibliotheca daret.
Cetera pars quid agit? Praegnantia plauſtra papyri
Inuitis Muſis commaculare ſolet.
Et piperis tortos diſcit curuare cucullos,
Chalcanto turpi quos lacerauit iners.

Hos

Hos indignatur peregrinis mittere terris;
Moenus & illorum ferre recusat onus.

(t) *Chalcographiae, librorumque abusus.*

(u) Vendicat ac praesens aetas insignia libris,
Et prima facie conspicienda locat.
Sphingis & adhaerent uariis aenigmata linguis,
Soluere quae solers Delius ipse nequit.
Fatali hic framea uacuas diuerberat auras,
Nescio quas strages hacque minatur idem.
Forsan, ut afflictis Pygmaeum rebus in armis
Succurrat contra Strymonias uolucres.
Aut, ut terrestres mures, ranasque palustres
Sterneret armatus, Marte fauente, furor.
Alter at Herculei nectit curuamina nodi,
Syssiphidi nunquam dissoluenda Duci.
Nonnullus niueum chartis ascisscit olorem;
Anseris ac clangor per loca multa strepit.
Exhibet Hyblaeos flores hic mille colorum,
Pro quibus accrescit lappa subinde tenax.
Velaque dant uentis hi, quae fortuna gubernat,
Queis cupidos agitat per freta salsa uiros.
Quilibet hoc fuco libris accedere lucem
Augurat, & foedi spem capit inde lucri.
Sed quod picta refert chartis praefixa figura,
Possessor factis abnegat usque *pijs. * f. *suis*
Nemo uirtutis praefert insignia, nemo
Iustitiae iusta corripit arma manu.

(u) *De typographorum insignibus.*

(x) Fronteque perfricta (tanta est insania quaestus)
Affigunt schedis haec quoque iura suis:
Nostra haec messis erit, pandas hic contrahe falces;
Et nostras segetes sit tetigisse nefas.
Hic nisi cautus eris, grandi multabere poena;
Hoc iubet Augusti Caesaris autoritas.
Caesaris autoritas talis sed uendere fumos
Edicto cauit, castaque scripta probat.
Quae non offendunt Curios, castasque Sabinas,
Et redolent Samii dogmata dia senis.

(x) *De typographorum priuilegiis.*

(y) Adde, quod haec furtis agitur res saepe nefandis;
Ac nihil intactum gens malesana sinit.
Hic noua dum rerum uersat uolumina prelis,
Somnia monstrosae quae nouitatis habent,
Surripit haec alius, iam uix incude retacta,
Subiicit & prelis turpia furta suis.

(y) *De impostoris typographorum.*

(z) Quin etiam uolitant, ut noctua nocte, libelli,
Qui lucem fugiunt, nominibusque carent:
Cornua fronte gerunt, armata est dextera ferro,
Et tabo linguae candida corda petunt.
His non iustitiae, nec recti candor in ore est,
Conuiciis horum pagina nulla uacat.
Vt noua sola placent stolidi mendacia uulgi,
Sic uitiis feruet mundus ubique nouis.
Has, lector, si pectus habes, fuge, diffuge Syrtes,
Et portus tuti littora tuta lege.

Ac patulas aures, exemplo fortis Vlyſſis,
Summoue, ne blando detineare ſono.

(x) *Anonymi libelli.*

(a) Inter ſed cunctos, queis candida prela laborant,
Emeruit primas *Aldus*, in arte potens.
Adſerit hanc laudem celebri candore laboris,
Fundat & Euganeas anchora ſacra rates.
Hunc uigili ſequitur ſtudio domus alta *Frobeni*,
Regia quem gremio fert Baſilea ſuo.
Huic albo confer *Schaeferos*, artis auitae
Cudendi libros quos pia fama manet.
Omnibus his iunges, ſimili queis aere moneta
Exit, & incudes conſona ſcripta dabit.
Barbara turba uale, quae nil niſi ſomnia uendis,
Flectis & a recto limite ſaepe pedes.

(a) *Qui noſtri ſæculi præcipui typographi.*

(b) Iactat & indoctos e plebe philautia Momos,
Audent qui ſcriptis cuncta mouere loco.
Protulit haud unquam tot fertilis Africa monſtra,
Scriptores quot nunc tempora noſtra leues.
Nec tot ſufflatas Lyciae dant flumina ranas,
Ranas, quas uiridis poena coercet aquae.
Materies horum ronchi, nugaeque canorae,
Et quod mens agitat criminis omne netas.
Aſſectant uitiis famam, uirtute repoſta,
Ventoſo ut ſemper plebis in ore ſient.
Haud ita diſſimiles huic, qui templa Dianae
Diruit, ardenti Mulciberique dedit.
Impia, ſub ſpecie ueri, mendacia miſcent,
Atque ſtruunt tacito pectore mille dolos.
Hic Ducibus barbam uellit, populique furorem
Excitat, & furiis moenia quaeque petit.
*Hinc alii contra gaudent obtrudere palpum;
Pectora plus iuſto quaelibet atra probant.
Blanditiis tollunt ſaeuos & ad aſtra tyrannos,
Nigraque deiiciunt Ditis ad antra pios.
Efflant ex uno, quod dicitur, ore calorem
Atque gelu, & nimia garrulitate ſcatent.
Illudunt ſacris, applaudunt ſaepe profanis,
Fingitur ac albus, qui modo fuſcus erat.
Et quod quisque uidet caecae per ſomnia noctis,
Mane per extremas ſpargit ad usque plagas.
Perque deos iurat ſuperos & numina terrae,
Eſſe crucifixi ſumma decreta Dei.
Omnia dente petunt, foedant ſpurcaque ſaliua,
Digni, qui Anticyrae praemia ſana ferant.
A quibus & Nemeſis turpiſſima facta repoſcat,
Quo meritas poenas improba turba luat.
Principis ac princeps lacerat caput, atque tacenda
Conſilia in chartis uendere quisque ſolet.

t. Huic

De rebus

De rebus magnis populi ſuffragia uana
Captant, quae ſemper mens animoſa fugit.
Quid non audebit furioſa licentia uulgi,
Talia ſi primi dant documenta duces?
(c) Quae non his oritur funeſta tragoedia nugis?
Accendit quas non haec quoque flamma faces? (d)

(b) *De proletariis ſcripturculis, deque libellis famoſis.*
(c) *Libelli famoſi ſunt cauſſa omnis ſeditionis.*
(d) His integrum diſtichon inſeruerat *Arnoldus*, quod mala fide *Verderius* expunxit:

Perfidus his fretus Gallus, bella aſpera mouit,
Haec princeps Getici cauſſa furoris erat.

Et gloriatur tamen *Verderius*, ſe *Arnoldi* carmen *candori ſuo* reſtituiſſe. Egregium uero candoris Gallici ſpecimen, quem tunc etiam Imperatori *Carolo V* probauit *Franciſcus I* Galliae Rex, ab *Arnoldo* his uerſibus notatus. (*Tenz.*)

Ruſtica ſeditio belli cur cornua ſumpſit?
Chartae pellaces hoc docuere nefas.
Has* quoque Gorgoneo perfudit ſacra cruore
Progenies uulgi, quam noua ſecta tenet.
Quaeque Numam ſimulat modo relligione profana,
Et geminos fertur ferre ſub aure polos.
Omnia confundit, uertit ſurſumque deorſumque,
Ac gerras praeter nil ſua ſilua crepat.
Haec auſa eſt aquilae Romanae uellere pennas,
Atque aras magni commaculare Dei.
Non adeo laedunt bombardae fulmina dira;
Nil praeter clades ſit licet illa tonent.
Nec tantum nocuit cuiquam uis ſaeua cicutae,
Quantum famoſi ſtigmata nigra libri.
His & mille modis eſſent haec ſaepe notanda,
Aſt iter immodicum noſtra Thaleia fugit.
Nec molles elegos, pugnacem at poſcit iambum
Res, ſatirae & tetrico carmine digna foret.
(e) At tu, quem uiridis, *Praeſul clariſſime*, laurus,
Et toga plus pacis, quam fera bella iuuant,
Aſpice, famoſis laeduntur ut omnia chartis,
Luditur his iuuenis, decipiturque ſenex.
Vtque ſonus uolucrem, piſcem ut cibus unctus ineſcat,
Praeſtigiis harum ſic cadit omnis homo.
Crede mihi, *Princeps*, harum ſpes maxima rerum,
Expugnant animos ſcripta retorta pios.
Ne dedigneris lapſis ſuccurrere rebus,
Hoc Paean rogitat, Theſpiadumque chorus.
Praeſidium mittet praeſens tibi (f) *Carolus* ingens,
Inter Germanos gloria prima Duces.
Nec minus illarum rerum negotia tractat,
Quam Solymi ut redimat ſacra ſepulcra ſoli.
Quoue modo nunc corda Ducum compeſcat iniqua,
Foedera qui rumpunt pacis, & arma fremunt,
Et Deus omnipotens audentis facta iuuabit,
Atque dabit uentis uela ſecunda tuis.

* f. *His*

(e) *Apoſtrophe ad Albertum Praeſulem.*

(f) Carolus V *Imp.*

Elige

Elige Ariſtarchos, quorum cenſura, obelusque
Latrantes coruos arguat atque notet.
Eiice degeneres animoſo pectore haliaetos,
Legitimae ut prolis conſpiciatur honos.
Dulciſonisque locum cygnis det garrula pica,
Audiat ac auris nil, niſi dulce melos.
Magnus Alexander, magnum qui terruit orbem,
Detentus tali ſaepe labore fuit.
Audebatque Ducis uultus depingere nemo,
Praeter Apellaeas, arte iuuante, manus,
Ne labor effigiem non ueram redderet orbi,
Dedecus & pareret turpis imago Duci.
Sic nec turpe puta, ſimili ratione cauere,
Barbarus ut docto cedat ubique uiro.
Spongia famoſis incumbat ſaepe libellis,
Et cuſtos ornet lucida gemma libros.

FINIS.



S. SEDIS